


DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

RE JUDICATA, ET DE EFFECTU SENTENTIARUM, ET DE INTERLOCUTIONIBUS.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,
U.J.D. ejusdemque Facultatis Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADRIANUS DE LANGE, GOUDA-BAT.

Ad diem 24 April. horâ locôque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCIII.

DEO TRIUNO, PATRIÆ PATRIBUS, AC OMNIS DOCTRINÆ SPLENDIDIS LUMINIBUS.



Hasce Theses Inaugurales
Sacras esse jubet
ADRIANUS DE LANGE,
Auctor.





DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
Re Judicata, & de Effectu Sententiarum, & de Interlocutionibus.

CAPUT I.



Sententia est de re, sive lite, Judicis ultima definitio, continens vel absolutionem rei, vel condemnationem *l.* 1. *D. h. t.* & *l.* 19. §. 1. *D. de Recept. arbitr.* sic dicta, quia ea judex, quod sentit super re proposita, declarat. Res judicata est, quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accepit: quod vel condemnatione vel absolutione contingit *l.* 1. *D. h. t.* non recte igitur Interpretes existimant, sententiam post decem dies transire in rem judicatam, si non sit appellatum; cum statim, atque lata est sententia, res judicata dicatur, arg. *l.* 23. §. 1. *D. de cond indeb. l.* 7. *l.* 11. *D. de Transact* & *l.* 14. *C. de appellat.* quod & visum *V. Cl. A. Matthæo disp.* 13. *de judic. th.* 1. & *Wissenb. in disp. ad h. t.* à quibus dissentiunt *Perez. Wesenb. h. t.* aliique.

Sentententia alia est *Definitiva*, quæ propriè est sententia, quia

 finem

finem imponit controversiæ motæ; ideoque judex amplius judicare & sententiam sive veram sive falsam mutare non potest *l.* 55. & 42. *D. h. t.*

Alia *Interlocutoria*, quæ & interlocutio hic dicitur, & impropriè sententiæ nomine venit; cum sit pronunciatio judicis, in principio, aut medio litis interposita, quæ ad litis progressum & præparationem spectat, non etiam litem finit & perimit *l.* 9. *C. de sent. & interloc.* add. *Gell. lib.* 14. *Noct. Att. cap.* 2. & ideo retractari & emendari potest *l.* 14. *D. h. t.* In hoc igitur primo differt sententia definitiva ab interlocutoria. Secundo in eo quoque, quod condemnatus per sententiam definitivam in aliquo crimine, efficiatur infamis *l.* 1. *§. qui in judicio, D. de his qui not. infam.* & *l.* 7. *D. de publ. jud.* cum per interlocutoriam nunquam quis efficiatur infamis *l.* 13. *§.* 6. *D. de his qui not. infam. Marant. in specul. aur. par.* 6. *de sent. n.* 3. *& seqq.*

Tertio differt, quia à sententia definitiva appellari potest, sed ab interlocutoria de jure civili non appellatur, ut habetur *in l.* 7. *C. quor. appell. non recip. l.* 2. *C. de Episcop. aud. l.* 2. *D. de appel. recip.* in qua tamen posteriore lege exceptio est, ut si judex interlocutus sit id, quod cadat in definitivam sententiam, & habeat tale gravamen, quod non possit restaurari. *Sande lib.* 1. *tit.* 13. *def.* 1. *S. van Leeuw. in Cens. For. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 31.

Priusquam ad ipsam hujus dissertationis materiam, quam pro usitato in hac inclyta Academia more breviter interpretari suscepi, progrediar; exponam quænam judex in ferenda sententia considerare debeat: quæ reduci fere possunt ad sequentia; nempe ad jus, factum, rem, sumptus litis, formulam, & solennia.

CAPUT II.

Primum debet judex respicere ad jus: non enim licitum ei est, quo velit modo judicare, quippe cum legum minister, non arbiter sit: sed observare debet, ne aliter judicet, quam legibus aut moribus proditum est *pr. I. de offic. jud. l.* 13. *C. de sent. & interl. auth. jubemus C. de judic. nov.* 126. *cap.* 1. eique congruum est, quod

ſummi viri, Plato & Ariſtoteles, ſæpius tradidere, *judicem legibus alligatum eſſe oportere.* Item quod Cicero alibi meminit, inquiens, *iſtud eſt hominis magni & ſapientis, cum judicandi cauſa tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi quodcunque cupierit, licere, ſed habere in Conſilio legem, religionem, æquitatem.* Idque adeo verum eſt, ut ſi aliter judicaverit judex quam legibus proditum ſit, ſententia non ſubſiſtat; maxime ſi de jure legis aut conſtitutionis velit judicare, hoc eſt expreſſim contra rigorem juris, ut ſi eum, qui allegabat excuſationem à tutela, ob numerum liberorum, aut onus trium tutelarum, aut ætatem, nihilominus damnaverit; addens, ejuſmodi non excuſare, non valebit ipſo jure ſententia, in tantum, ut ne appellatione quidem opus ſit *l.* 19 *D. de appell. l.* 1. *§* 2. *D. quæ ſent. ſine app l.* 2. *C. quand. prov. non eſt nec. Bachov. in not. ad Treutl. diſp.* 23. *th.* 5. *l. A.* at vero ſi judex de jure ipſius litigatoris pronunciavit, ſententia ſubſiſtit, licet is affectus ſit injuria; proinde cum non provocaverit, videtur judicatum approbare, & jus ſuum remittere: v. g. de jure ſuo probantem admiſit judex, ſed idcirco contra eum ſententiam dixit: quod negavit eum de ætate ſua, aut de numero liberorum probaſſe; de jure litigatoris pronunciaſſe intelligitur; quo caſu appellatio neceſſaria eſt *d. l.* 1. *§.* 2. ſimiliter actor centum nomine ſortis & viginti uſurarum, petit; reus vero negat, uſuras uſurarum à ſe ex conſtitutionibus peti poſſe; judex reum in quantitatem petitam condemnat; exiſtimans, conſtitutiones eas ad hanc rem non pertinere; licet judex id injuſte & imperitè faciat; tamen rei judicatæ ſtandum eſſe reſponſum eſt *l.* 27. *&* 32. *D h. t.*

Debet igitur ſecundum jus judicare, prætextu autem æquitatis à jure recedere non debet; utique quoties mens & verba legis certa ſunt, licet rigida ſint, hoc enim ſoli Principi permiſſum eſt *l.* 1. *C. de legib. l.* 12. *§.* 1. *D. qui & à quib. man. l.* 40. *D. de petit. her.* quod ſi aut verba incerta, aut mens ambigua ſint, tum æquitatis rationem habere debet, & in mitiorem interpretationem inclinare *l.* 18. 19. *D. de legib. l.* 8. *C. de judic.* & huc illa regula juris pertinet, *in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas ſpectanda eſt l.* 90 *D. de Reg. Jur.* ideoque dictum à veteribus, *ſummum jus, ſummam eſſe injuriam,* quod Cicero refert *lib.* 1. *de offic.* item *in Orat. pro Cæcin. ſcriptum ſequi calumniatoris eſt; boni judicis, ſcriptoris vo-*

luntatem auctoritatemque defendere. Columella, *summam crucem*, Terentius *summam malitiam vocat.* adi *Vinn. ad pr. I. de offic. jud. & Donell. lib. 26. cap. 2.*

Cæterum, postquam placuit, judicem ad leges attendere, quæsitum est, an hoc pertineat quoque ad summas præfecturas, seu curias ultimæ jurisdictionis; quod quidam negant, putantes, eas judicare posse, prout eis æquum visum fuerit, etiam contra jus. Sed mihi contrarium videtur, propter Justiniani *Nov. 8. cap. 12.* in quo nominatim de Præsidibus Provinciarum mentionem facit: & omnem dubitationem tollit in *Nov. 82. cap. 13. Donell. dict. loc.* satis de jure dixi.

CAPUT III.

Venio ad factum; in quo hoc observatur, ut judex secundum acta & probata judicet *l. 14. C. de judic. l. 6. §. 1. D. de offic. Præsid.* ideoque reus convictus condemnandus est; sin aliter, etsi nihil ipse præstet, absolvendus est *l. 4. C. de edend. l. 9. C. de oblig. & act.* si aliquid desit in facto, hoc judex non supplebit: aliter ac si quid in jure consistens omissum, aut perperam allegatum sit; quia jus certum est, & notum esse debet judici *l. un. C. ut quæ des. adv. jud supp.* Vetus est quæstio & *à Gellio proposita lib. 14. cap. 2. in med.* quid judex facere debeat, si aliter ipsi constet de facto, quam liqueat ex actis & probatis, utrum secundum ea, an secundum propriam conscientiam judicare debeat. Hac in re dissentiunt veteres Glossatores Martinus & Joannes: quorum hic conscientiam amplexus est, ille acta & probata. Verum placet, hac in re tutius esse, quod suasere quidam, ut deposita judicis persona, assumat personam testis vel accusatoris; quia nec adversus conscientiam judicare religio, nec contra acta & probata utilitatis publicæ ratio permittit. *vide Donell. lib. 26. c. 3. Cujac. lib. 12. observ. cap. 19.*

Atque hac usus est ratione C. Julius Decemvir, qui accusator ad populum extitit ejus rei, cujus judex legitimus erat, *apud Liv. lib. 3. cap. 33.* idem voluit Africanus posterior, *apud Cic. pro Cluent. & Valer. Max. lib. 4. cap. 1. n. 10.*

CA-

CAPUT IV.

Debet judex quoque attendere ad rem; hoc est, ad id quod petitum est & deductum in judicium, non enim debet egredi libellum petitoris, & in aliud condemnationem facere, quam quod petitum est, arg. *l.* 18. *D. comm. div.* quid autem in judicium deductum esse intelligatur, id si quæstioni sit, quod actori utilius est, accipiendum est *l.* 66. *D. de judic.* Etsi enim solemus dicere, id venire in judicium, de quo actum est inter litigantes; tamen Celsus ait, periculose esse, ex persona rei hoc metiri: qui semper, ne condemnetur, hoc dicet, non convenisse. Quid ergo? melius est dicere, id venire in judicium, non de quo actum est, ut veniret; sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret *l.* 61. *D. eod.* idque & Paulus probat *l.* 83. *§.* 1. *D. de verbor. oblig.* sic scribens, *si Stichum stipulatus de alio sentiam, tu de alio; nihil actum erit, quod & in judiciis Aristo existimavit. Sed hic magis est, ut is petitus videatur, de quo actor sensit; nam stipulatio ex utriusque consensu valet: judicium autem etiam in invitum redditur, & ideo actori potius credendum est; alioquin semper negabit reus se consensisse.*

Porro petuntur quædam palam, ut ipsa res, quædam tacite & per consequentiam, ut fructus, impensæ, & aliæ accessiones, quæ à tempore litiscontestatæ veniunt *l.* 2. *C. de fruct. & lit. expens.* etiamsi itaque specialiter fructus petiti non sint una cum re, tamen in judicium veniunt, quia eo ipso petiti intelliguntur, quod res principalis petita sit, atque hoc pluribus in locis traditum est, ut *l.* 35. *§.* 1. *& l.* 20. *D. de rei vind. l.* 31. *D. de reb. cred. l.* 2. *D. de usur.* De fructibus ante litem contestatam perceptis non cognoscit judex, nisi rogatus *l.* 25. *§.* 8. *D. de ædilit. edict.* præterquam in hereditatis petitione, in qua fructus ipsam hereditatem augent *l* 40. §. 1. *&* 2. *D. de petit hered. Donell. lib.* 26. *c.* 4. *Perez. ad Tit. C. de fruct. & lit. exp. A. Matth. disp.* 11. *de judic. th.* 14. *& seqq.* Superioribus illud addendum est, quod etsi non debeat regulariter judex reum in aliud condemnare, quam quod petitum est; tamen ab eo non utique in rem ipsam, sed sæpe in æstimationem condemnatio fieri potest; hoc enim ut faciat judex, aliquando necessitas jubet, ut si res petita aut culpa aut mora rei perierit *l.* 15. *§.* 3. *l.* 36. *§.* 1. *D. de rei vind. l.* 8. *l.* 14. *§.* 2. *D. de cond. furt.* Est item, ubi

ubi id humanitas velit; ut si aliena res legata sit; negetque heres, dominum eam vendere, vel immensum pretium ejus petere, affirmet. Aut si servus, filius naturalis, aut servus, pater naturalis, ab herede legatus sit; quippe durum foret, si pater cogeretur filium, aut filius cogeretur patrem alteri in servitutem dare, ideoque conceditur eis, ut possint defungi præstando æstimationem. Ita in homine benigna ratione receptum; sed in aliis rebus non placuit *l. 14. §. ult. D. de legat. 3. § 4. l. eod.* & *l. 71. § 3. & 4. D. de legat. 1.*

Præter hæc facit interdum potestas juris, ut in id quod interest condemnatio fiat, uti in omnibus dandi & faciendi obligationibus: v. gr. aliquis promisit se daturum vel facturum. Quod si faciat, aut det, bene est, sin minus, non potest ad hoc præcise cogi; sed potest se liberare præstando id quod interest: scilicet, quia servile habitum fuit, etsi promissorem, tamen hominem liberum, cogi facere quod nolit; sed & stipulator visus est rem stipulatus esse cujusdam utilitatis causa: si autem habet id quod interest, creditur eam utilitatem habere *l. 13. §. 1. D. h. t. l. 72. D. de verb. obl. l. 11. §. 9. D. & l. 4. C. de act. empt. Donell. lib. 26. com. cap. 5.*

Cæterum, cum in æstimationem condemnatur reus, fit ea æstimatio aliquando per actorem, delato ei jurejurando in litem; ut si non fiat restitutio ob dolum aut contumaciam possessoris, & hoc evenit in omnibus bonæ fidei judiciis & arbitrariis; dummodo de restituendo vel exhibendo agatur *l. 5. pr. §. 3. l. 8. D. de in lit. jur. l. 2. C. eod.* nam contractus emptionis venditionis, æque ac reliqui contractus, liber esse debet, adeo nemo debet cogi, ut rem suam vendat, licet justo pretio; & si debet ob dolum aut contumaciam adversarii, tum ei hoc saltem concedi æquum est, ut ipse possit pretium rei suæ constituere, quantum velit; non ut reus rem æstimet *l. 9. & 10. D. de act. rer. amot.* Plane, si in bonæ fidei judiciis agitur quidem de restituendo, sed tantum culpa res non restituitur, tum aliud dicendum est; judex enim absque delatione jurisjurandi litem ipse æstimat per se, eaque æstimatio quod intersit agentis continet *l. 5. §. 3. l. 2. §. 1. l. 4. §. ult. D. & l. 2. C. de in lit. jur.* Similiter, si sit quidem bonæ fidei judicium, sed in quo agitur de dando aut tradendo, ut in emptione venditione, tum si non detur aut tradatur res contumacia aut culpa

ven-

venditoris, officio judicis æstimatio facienda est *l. 4. C. de act. empt. & vend.* idem est in stricti juris judiciis; nisi si res interierit post moram: tum enim actori jusjurandum offerendum est, ut juret, quanti sua intersit, quia judex non potest rem, quæ non exstat, sine relatione jurisjurandi æstimare *d. l. 5. §. ult. l. 6. D. de in lit. jur.*

Illud observandum est, quod id quod interest aliter æstimatur in casibus certis, aliter in incertis. Si enim casus certi sint, tum id quod interest non excedit duplum veri pretii; ubi vero incerti sunt; tum judex ex sua subtilitate in rem inquirere debet, & æstimare quantum in rei veritate interest actoris vel rei *l. un. C. de sent. quæ pro eo quod int. ubi Cujac. in parat.*

CAPUT V.

Sequitur, ut ad sumptus litis transeamus: in quibus notandum est, eam pœnam esse temerarii litigatoris, ut in litis expensas condemnetur, sive actor sive reus sit; nempe, quia earum faciendarum causam adversario præbuit *l. 79. D. de judic. & l. 13. §. 6. C. eod.* veniunt autem sub expensarum appellatione varia, ut salaria advocatorum, & procuratorum, & notariorum, item sportulæ judicum, exceptorum, apparitorum, nec non quæ testimonii dicendi causa evocatis dantur *d. l. 79. l. 4 & ult. C. de fruct. & lit. expens. l. 11. C. de testib.* nec interest, utrum sumptus facti sint ante litem contestatam, an vero post: cæterum debet judex victum vel ab eorum præstatione absolvere, vel in eorum præstationem condemnare *l. pen. C. de fruct. & lit. expens. & Nov. 82. cap. 10.* si mentio expensarum facta non sit, nullam amplius victor, earum recuperandarum causa, habet actionem *l. 3. C. d. t.* non est quoque victori jus ea de causa appellandi *l ult. C. quand. prov. non est necess* quia judex eo nomine victori tenetur *l. 13. §. 6. C. de judic. & l. 5. C. de fruct. & lit. exp.* non omnis victus condemnatur in expensas, sed ille, qui temere aut improbe adversarium in jus vocavit *§. 1. Inst. de pœn. tem. litig. & d. l. 79. D. de judic.* Si justam igitur causam litigator habeat, quod interdum accidit, aut propter causæ obscuritatem & dubitationem, aut propter probabilem

bilem ignorantiam facti, aut incertitudinem juris natam ex discrepantibus Doctorum sententiis, placet, cum victum non condemnari in expensas *l. 78. §. 2. D. de legat. 2. l. 5 §. 1. C. de fruct. & lit. exp & auth. post jusjurandum. C. de judic.* quod judicis prudentiæ & religioni æstimandum relinquitur, *d. ll.* hos, & plures alios casus enumerant *Perez. ad Tit. C. de fruct. & lit. exp. A. Matth. d disp. th. 35. & seqq. S. van Leeuw. in Censur. For. par. 2. lib. 1. c. 31. n. 13. & seqq.*

CAPUT VI.

Monet tempus ut de formula cogitemus, quæ in sententia adhibenda est. Et siquidem sententia à Prætore feratur, latine ferri debet *l. 48. D h. t.* à Judice autem pedaneo græce quoque pronunciari potest *l. 12. C. de sent. & interl. Donell. & Duaren. ad d. l. 48.*

Debet etiam pura esse formula; non sub conditione: dicta tamen si fuerit, subsistit; & tempus appellando præfixum à tempore latæ sententiæ computatur, non à die conditionis existentis *l. 1. §. 5. D quand. appell.*

Debet quoque sententia condemnationem, aut absolutionem continere *l. 1. D. h. t l. 3. C. de sent. & interl.* quamquam non tenetur præcise judex ei verba *condemnationis*, aut *absolutionis* inserere; sed sufficit, si æquipollentibus utatur verbis *l. 59. D. h. t. l. 3. & 4. C. de sent. quæ sin cert. quant prof.*

Præterea desideratur, uti judex certam ferat sententiam; nam si incertam ferat, ipso jure nulla est; in tantum, ut ne appellatione quidem opus sit *d l. 3. & 4.*

Illud non requiritur, ut causam adjiciat condemnationi, aut absolutioni: sed potest, si velit *l. 2. §. 2 D. de his qui not. inf.* si tamen inserat, caveat, ne falsam aut ineptam addat; nam falsa causa in sententia expressa vitiat sententiam *l. 37. D. de excusat. tut. ubi Brunnem.*

Porro, ferenda sententia est adversus ipsum, cum quo lis contestata est; nec refert, utrum dominus fuerit, an procurator. Nam si dominus principalis per procuratorem litis contestationem fecit,

fecit, procurator condemnandus est; si aliter fiat, nulla est sententia *l. 1. C. de sent. & interl.* excipit *Cujac. in parat. C. d. t.* causam criminalem ex *l. ult. C. de injur. And. Gail. 1. obs. 111. n. 3.* insuper addit matrimonialem. Quod si à domino lite contestata postea procurator constitutus sit; placet, hoc in casu non in procuratorem, sed dominum sententiam ferendam esse, *arg. d. l. 1.C. & l.6. §.2. D.de his qui not. inf.* hocque hodie observari, notat *Gail. d. obs. n. 2.*

Si procurator litem contestatus sit, mortuo domino potest eam peragere & finire, quia velut novatione facta dominus litis factus est *l. 22. & 23. C. de procurat.* si dominus per se litem contestatus diem obiit, tum in heredes ejus lis transfertur, quia in mortuum non potest ferri sententia *l. 74. §. ult. D. de judic. & l. 2. D. quæ sent. sin. app. resc.*

CAPUT VII.

Supersunt solennia sententiæ. Inter quæ hoc est, ut actor & reus convocentur ad audiendam sententiam, iisque præsentibus feratur, si unus absit, non valet sententia *l. 47. D. h. t.* Interdum tamen alterutro præsente sententia pronunciatur *l. 13. §. 6. C. de judic.* v, gr. si reus vel actor per contumaciam absit, & ipsi denunciatio legitime facta sit, tum enim potest judex in absentem ferre sententiam *l. 7. C. quom. & quand. jud sent. Cujac. lib. 18. obs. cap. 30.*

Debet porro sedens judex sententiam ferre, & si sit Prætor, pro tribunali *l. 4. C. de dilationib. & l. 2. §. 1. D. quis ord in bon. poss.* hoc idem nos docet *Apulej. florid. 9.* sic inquiens; *Præco cum Proconsule, & ipse tribunal adscendit, & ipse togatus illic videtur*; & paulo post: *ipse Proconsul sedens loquitur.* Si sit judex pedaneus, in subselliis eo loco, qui à Prætore constitutus erit, quod si non sit, jubetur eo in loco judicare, quo solet judicari sine incommodo litigantium *l. 59. D. de judic.* Sedentes autem ideo judicant, quia tum plus sapimus, inquiunt veteres, quippe cum animus in quiete sit. Unde Plautus; *nimio pol plus sedens sapio, quam stans.*

Item debet judex ex breviculo seu tabella pronunciare & recitare

tare sententiam non memoriter; *l.* 1. 2. & 3. *C. de sent. ex peric. recit.* id quoquo *dict. loc.* innuit Apulej. *Enim vero ipse Proconsul moderata voce rarentur, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. quippe praeconis vox garrula, ministerium est; Proconsulis autem tabella sententia est.* Hoc verum est, nisi lites sint breves, & maxime vilium personarum vel causarum *auth. nisi C. eod.*

Si plures constituti sint judices, omnes debent adesse & judicare: nam si, uno absente, reliqui pronuncient; non valet sententia *l.* 39. *D. h. t.* si tamen omnes adsint, non requiritur, ut omnes consentiant; nam hac & in simili re numerus major superat minorem *d. l.* 39. & 37. *eod.* Si dissonae sententiae inter pares numero judices sint, ait Paulus, eam sententiam quae pro libertate est, potiorem esse, in aliis vero causis hanc, quae pro reo est *l.* 38. *D. h. t.* & *l.* 10. *D. de inoff. testam.* quod si in diversas condemnent summas, minimam spectamus *l* 27. §. 3. *D. de recept. qui arb. recep.* junct. *d. l.* 38. §. 1. vide *Cujac. lib.* 12. *obs. c.* 16.

CAPUT VIII.

Effectus sententiae ac rei judicatae est, quod judex, ubi tulit sententiam, finem liti imponat, & judex esse desinat, ideoque sententiam sive veram sive falsam mutare non potest *l.* 55. *l.* 62. *D. h. t.* & *l.* 2. *C. de sent. ex peric. rec.* nec interest, judex pedaneus ille sit, an Magistratus, ut Praetor vel Proconsul *l.* 14. *h. t.* Apulej. *dict. florid.* 9. *Proconsulis tabella sententia est. Quae semel lecta, neque augeri litera una, neque autem minui potest: sed utcumque recitata est, ita provinciae instrumento refertur.* & Seneca *in declam. & controv. Judex quam tulerit de reo tabellam revocare non potest. Quaesitor non mutat pronunciationem.* Sic est in sententia definitiva, sed contra dicendum est in interlocutoria, ut ex *d. l.* 14. *cap.* 1. demonstravi. Hujus rei varia potest reddi ratio. Prima, ne infirmetur auctoritas rerum judicarum. Secunda, quia judex hac in causa officio suo functus est *d. l.* 55. Tertia, ut judices sciant, non esse procedendum ad sententiam, nisi adhibita omni circumspectione. Postrema, quia ex ea jus sibi acquisivit victor, quod non solum per judicem, sed ne quidem Principem

ei auferri potest *l. ult. C. sent. resc. non poss.* actorum tamen verba emendare, manente tenore sententiæ, non prohibetur *l.* 46. *D. h. t.* ut & eodem die supplere, quæ ad consequentiam sententiæ pertinent, ut fructus, impensas *l.* 42. *D. h. t. l.* 35. §. 1. *D. de rei vind.* Quod si est, apparet, rei judicatæ standum esse *l.* 1. *C. h. t.* nam pro veritate habetur *l.* 25. *D. de stat. hom. l.* 207. *D. de R. J.* Denique jus facere dicitur: utique inter eos inter quos judicatum est; quoniam res inter alios acta, aliis non nocet *l.* 63. *D. de re judicat.* idque in tantum placet, ut nequidem ob prætextum erroneæ computationis retractari possit *l.* 2. *C. h. t.* vel instrumentorum noviter repertorum *l.* 4. *C. eod.* Exceptis quibusdam casibus *l.* 35. *D. h. t. l. un. C. de sent. ad fisc. retr. l.* 31. *D. de jurejur. Cujac. lib.* 18. *obs. c.* 35. *& Wissenb. in disp.* 21. *th.* 15. hoc non tantum obtinet in sententiis de rebus civilibus, sed & in criminalibus, ut si quis homicidii accusetur, & ad pœnam capitalem condemnetur, interim tamen dum sumetur supplicium, apparet, ipsum falsè condemnatum esse, non poterit sententia retrotrahi: quid igitur, an capite innocens plectitur? non, sed ea de re ad Principem scribetur, cum nullius juri eo præjudicetur *l.* 1. §. *ult. D. de quæstionib. l.* 45. §. 1. *D. de re jud.* Severissimum ea de re exstat exemplum *apud Senec. in tract. de ira.*

Alter effectus rei judicatæ est, quod sententia, postquam lata est, dein executione detur *l. ult. C. de execut. rei jud.* in qua examinabo 1°. à quo fieri possit, 2°. quando, 3°. quomodo, 4°. cui detur actio rei judicatæ, 5°. contra quem, 6°. quousque. Quod ad primum attinet, executio sententiæ fieri debet auctoritate publica, nam si actor ipse cepit bona judicati aut rapuit, tenetur actione furti, aut vi bonorum raptorum *l.* 6. §. *pen. D. h. t.* igitur magistratus ipse, qui jurisdictionem habet, sententiam suam executioni dare potest per apparitores; non etiam judex pedaneus; nam hujus sententiam exequitur, qui eum judicem constituit *l.* 15. *D. h. t.* quæsitum est de mandatario, an hic quoque exequi possit: Et sic mihi videtur, cum universa aut simpliciter jurisdictione mandata, totum jurisdicundi officium transferatur, ac proinde etiam executio *l.* 1. §. 4. *D. de suspect. tut. l. ult.* §. 1. *D. de offic. ejus, cui mand.* quibus adde *tractat. egreg. Viri Doctiss. G. Noodt de jurisdict. lib.* 2. *cap.* 2. quod dixi Magistratum debere sententiam executioni dare, id verum est, si rei bona sita sint intra jurisdictio-

ctionem Magistratus, à quo sententia lata est, nam si reus alio in loco habeat bona, potest Magistratus litteras, quas vocant, requisitoriales mittere ad Magistratum istius loci, ut ibidem exequatur sententia, *arg. l.* 15. §. 1. D. *h. t. l.* 13. §. 3. C. *de judic. Nov.* 134. *c.* 5. *adi S. van Leeuw. in Cens. For. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 33. *n.* 9. 10. *Sande lib.* 1. *tit.* 12. *def.* 5.

Secundo quæritur, quando executioni detur sententia? Et puto distinguendum esse inter actiones in rem & in personam: nam si sit actio in rem, sed talis, in qua agitur de restituendo, tum statim restitutio facienda est, & sententia executioni mandanda *l.* 68. D. *de rei vind.* §. 2. *l. de offic. jud.* si est actio in personam, in qua agitur de dando vel faciendo, tum induciæ quadrimestres reo conceduntur, quibus elapsis, usuræ centesimæ statim currunt *l. ult. pr.* §. 1. C. *de usur. rei jud.* ratio differentiæ est, quod res aliena, quam quis apud se habet, facilius restitui potest, quam pecunia explicari. Et ideo interdum in actione personali damnato quadrimestre spatium indulgendum non est, nempe si certa species petita sit, veluti in actione depositi, vel commodati, cujus & præstandæ reus facultatem habeat, nam tum post moram periculum ad judicatum pertinet, & ex die litis contestatæ fructus veniunt *l.* 7. C. *de execut. rei jud. l.* 2. C *de fruct. & lit. exp. l. pen.* C *deposit.* non etiam in interdicto de libero homine exhibendo *l. ult.* §. 2. D. *de hom. lib. exhib. A Matth. disp.* 13. *th.* 2. *Wissenb. h. t. th.* 7. quæritur an tempus illud ampliari & restringi possit? Resp. distinguendum esse inter eum, qui pro tribunali cognoscit, & inter eum, qui non pro tribunali cognoscit, magistratus ut Prætor, qui pro tribunali cognoscit, potest causa cognita ampliare & restringere tempus *l.* 2. D. *h. t.* judex pedaneus si restrinxerit, ex lege suppletur, quod sententiæ deest, si ampliavit, hoc observandum *l.* 4. §. 5 *eod.*

Tertio videndum, quomodo executioni detur res judicata. Est autem modus eam exequendi non unus: vel enim fit per manum militarem, vel captionem pignorum & distractionem, vel missionem in possessionem, vel carcerem. Manu militari executio fit, cum quis rem certam sive corpus restituere jussus, non paret judici cum possit *l.* 68. D. *de rei vind.* Interdum Prætor manu militari exequitur decretum suum de missione in possessionem *l.* 3. D. *ne vis fiat ei qui in poss. miss. er. l.* 5. §. 27. D. *ut in poss. legat.*

etiam

etiam in capiendis pignoribus sæpe manus militaris adhibetur, ut apparet *ex Suet Jul. cap. 17. item ex Ciceronis Philippica prima.*

Pignorum capio præcipue locum habet in condemnationibus pecuniariis: solutione etenim non sequente fit pignorum capio & distractio, ut ex pretio victori satisfiat *l. ult. C. de execut. rei jud.* Ordo res capiendi distrahendique est, ut primum res mobiles, imprimis animales pignori capiantur, deinde immobiles, postremo jura & nomina *l. 15. §. 2. D. h. t l. 5. C. de execut. rei jud.* captis videlicet chirographis seu instrumentis obligationum, aut denuntiando debitori, ne creditori suo, qui condemnatus est, solvat, *arg. l. 4. C. quæ res pign. oblig. poss.* initium à rebus mobilibus ideo fit, quod earum quam immobilium expeditior minusque damnosa sit venditio; postremo à nominibus, quod in iis persequendis res haberi debet, non tantum cum condemnato, sed cum extraneis ejus debitoribus, qui si redacti sunt ad inopiam, nomina inutilia redduntur. *Gudel. de jur. noviss. lib. 4 c. 14.*

Hunc executionis ordinem an judex postulante creditore intervertere possit, quæsitum est? *Bartolus, Duarenus* aliique affirmant ad *d. l. 15. §. 2* ideo quod magis creditoris quam debitoris favore, hic ordo sit introductus. Rectius tamen *Donellus, Maranta & alii* negant: quia magis debitoris gratia hic ordo constitutus videtur *d. l. 15. §. 2. l. 1. § 20. D de vent. in poss. mit* atque adeo si executor eum neglexerit, potest ab eo appellari *l. 5. C. quor. appell. non recip.* Annonæ & stipendia militum, nec non commoda præmiorum, quæ athletis præstantur pro coronis, non possunt capi, quamdiu supersunt res aliæ, ex quibus judicato satisfieri possit *l. 4. C de execut rei jud. l 40. D. h. t.* eadem conditione servi aratores, boves aratorii, instrumentaque aratoria pignori capi nequeunt *l. 7. & seq. C. quæ res pign. obl. non poss. Perez. ad Tit. C. de execut. rei jud n. 12. & seq.*

Pignora capta solent post duos menses distrahi publice sub hasta, & addici pluris licitanti, & si quid superfuerit, hoc debitori reddetur *l. 15. §. 2. l. 31. D. h. t. l. 3. §. 8. D. de neg. gest. l. 3. C. de execut. rei jud.* nec refert utrum extraneus emptor sit, an is qui judicio vicit *l. 2. C. si in caus. jud pign. capt. sit.* Distrahenda autem sunt præsenti pecunia *l. 15. §. 7. in med. h. t.* si emptorem non invenerint, addicenda sunt ipsi, cui quis condemnatus est, & quidem ea quantitate, quæ debetur *l. 15. §. 3. Gudel. dict loc.*

Priusquam ad ultimum executionis modum perveniam, illud videndum est, cui & adversus quem detur actio rei judicatæ, & placet ei dari, qui obtinuit in sententia, item heredi ejus *l. 6. §. ult. D. h t.* datur autem adversus condemnatum, & ejus heredem, quia est persecutoria *d. l. 6. §. ult.* quasi ex contractu; & ideo quoque contra patrem de peculio datur, condemnato filio, etiam ea ex causa, ex qua pater ab initio conveniri non potuit *l. 3. §. 11. D. de pecul.* quod si per procuratorem egit reus, ex juris subtilitate contra illum agitur: hoc tamen jure utimur, ut si procurator actione rei judicatæ conveniatur, possit se tueri exeptione doli *l. 28. D. de Procurat.* hoc verum est, nisi procurator liti se obtulerit, aut in rem suam datus sit, aut domino litis heres exstiterit *l. 31. D. eod l. 4. D. h. t.* quod si plures una sententia in eandem quantitatem condemnati sint, in singulos pro partibus hæc actio datur *l. 43. D. eod. l. 1. & 2. C. si plur. un. sent. cond. sint.* Si tutor vel curator condemnetur, in pupillum & minorem danda executio *d. l. 4. §. 1.*

Datur hæc actio adversus reum condemnatum in solidum, & si is solidum solvere non potest, in carcerem conjicietur, in quo manere debet, donec ultimum quadrantem persolverit; conjecti porro in carcerem si non habeant, unde se alere possint, alimenta illis modica ab actore sunt præstanda, quod *l. 12. Tabb.* cautum refert *Gell. lib. 20. cap. 1.* & huc respicit *l. 34. D. h. t.* Plane potest condemnatus qui solvendo non est, lege Julia carceris squalorem effugere, si bonis cedere mavult *l. 4. C. qui bon. ced. pos.* dum tamen cedat omnibus, ne teruncio quidem recepto *l. 1. C. l. 6 D. eod.* ita ut flebile & miserabile beneficium sit *l. pen. C. eod.* Bonis autem cedere non tantum in jure, sed & extra jus potest, sola voluntatis professione, & sufficit, per nuncium vel per epistolam id declarari *l. 6. C. l. pen. & ult. D. eod.* sed ita tamen, si civilis causa sit, non si criminalis sit: in criminalibus enim ista regula utimur: *qui non habet in ære, luat in corpore l. 7. §. 3. D. de jurisdict. l. ult. D. de in jus vocand.* in contractibus ista; *inanis est actio, quam excludit inopia debitoris l. 6. D de dol. mal.* si bona cessa sunt, hæc sibi non habent creditores, sed distrahunt, ut fit ex causa judicati *l. 4. C. qui bon. ced. l. ult. D. de curat. bon. dand.* Et si solidum acceperint, liberatur cedens: sin minus, non inquietabitur, interim, nec in carcerem ducetur. Sed si postea ad meliorem fortunam

tunam pervenerit, cogitur reliquum solvere, competentiæ beneficio tunc usuris *l.* 4. 6. 7. *D.* & *l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.* Sunt præterea quædam personæ, quæ non nisi in id quod facere possunt, ex judicato conveniantur. Cujusmodi beneficium tribuitur patri & patrono ob reverentiam eis à liberis & libertis exhibendam *l.* 16. 17. 30. *D. h. t.* Socio, quoniam inter Socios consistit quoddam jus fraternitatis *l* 63. *D. pro Socio.* nec refert utrum Socii sint universorum an bonorum particularium *l.* 16. *D. h. t.* & *d. l.* 63. Donatori, ne liberalitate sua redigatur ad inopiam *l.* 19. §. 1. *h. t.* & hoc receptum est ex rescripto Divi Pii *in l.* 28 *D. de R. I.* militi stipendiario, propter merita in Rempub. *l.* 6. & 18. *D. h. t.* Idem indulgetur marito, qui conventus est ab uxore super restitutione consumptæ dotis: ea enim mariro reverentiam quoque debet *l.* 20. *eod. l.* 1. §. 7. *C. de rei uxor. act.* Socero etiam ob dotem promissam convento idem beneficium concessum est, quia parentis loco habetur *l.* 15. §. *ult. l.* 16. & 17. *D. solut. matr.* nec distinguitur *in d. ll.* sit ne Socer uxoris, an mariti.

FINIS.



FLORUM SPARSIO

in Præstantissimos Fratres

LANGIOS,

Quum Academicis studiis exerciti,

HADRIANUS post Disputationem

De Re Judicata, & de Effectu Sententiarum, & de Interlocutionibus

Habitam

Juris Utriusque Doctor renuntiatus, DANIEL peractis examinibus jam proluta,
HAGAM migrarent.

Si quid adhuc varia distinctum graminis herba
  Florigeri vernans, Henna, coloris habes.
Si veteres tibi, Pæste, rosæ nascuntur, ad urbem
  Proventus meet hanc, Pæste vel Henna, tuus.
Aut potius de valle tuâ decerpere lætas,
  Hierichus, palmas, ambitiosa, detur.
Has etenim meruistis; & ut meruistis, honorem
  O mea si vobis posset habere manus!
Sic ego dum voveo, quia talis adorea vestra est,
  Heu! procul & palmas & video esse rosas.
Nulla juvant, en, vota manum; nil tale parati est,
  Quo pars exterior conspicienda foret.

Alter

Alter quærendus decoris modus, altera merces;
Longe ab perpetuis ſint peritura brevi.
Laus animi fructuſque animo mittendus ab ipſo,
Quem reſerant vero concita verba ſono.
Nam neque vos horas ſiviſtis fallere corpus:
Debuit interior pars meruitque coli.
Quò ratio conſtans, quò vox humana, moduſque
Quò vitæ firmus, mens & acuta foret.
Hinc ſudor pulviſque, hinc concurſatio, & acris
In ſtadio vere curſus Olympiaco.
Tali ſervitio depreſſum eſt corpus honeſtè,
Vis animi ut poſſet jure volare ſuo,
Ac bene perſpiciens raptare, quod utile, tantæ
Quod majeſtati convenienſque patet.
Poſt ita collectos flores tamen hæſit in uno,
Uno, ſed quo nil ſanctius eſſe poteſt.
Eſſe ſacerdotes juris cupiiſtis & æqui.
Hinc bona naturæ maxima diſcit homo.
Hæc vis magna Dei: nullus cui reſtitat: unus
Semper in immota Terminus arce manens.
Nulla poteſtatis quam contemplatio debet
Lædere, non ullum quam violare ſcelus.
Non ea muneribus frangi valet: illa tyranni
Inſurgentis opes deſpuit atque minas.
O homo, juſtitiam qui diſcere negligis, auſus
Dona vel affectus ante tuliſſe Deo!
Teque novi juris, falſæ ſub imagine vocis,
Ferre repertorem (tertius ille fuit
Nomine Cæſareo talis) quàm torridus æſtus
Te quatit? & quæ ſunt, Tiberiana facis?
Sint obſcura licet momentaque tenuia cauſas
Convertant, ſunt hæc excutienda tamen.

In causa quicunque sedes, examina nosse
Te decet ista! loci flagitat ordo tui.
Inspice quàm sit mira rei, quam volvis, origo:
Unde sit in nostros illa redacta libros.
Non id nescio quid sic exiguum esse videbis.
Res penitus sancta est auspiciumque rei.
Hanc mentem Judæa Deo donante recepit;
Sed celans reliquos ut penetrale sacrum.
Attamen ingenii potuit decerpere partes
Divinas aliquot Græcia flore sui.
Imperium, Romane, tuum tamen omnia limans
Tempore & eventu castius expoliit.
Roma, bonum populi, non unius, una probavit
Lege sua populum tam bene posse regi.
Propterea est aliquid Livio duce nosse Tribunal,
Et modo Consulibus libera verba data,
Post etiam ab Prætore: sed appellante Quirites
Damnato, populi jura fuisse super.
Sicque modos legum libertatisque verendæ
Civili & firma præside lance geri.
Rursus & est aliquid Tacito duce, jura per arma
Perque dolos populo cernere dempta suo.
Cæsaris unius posthac quodcumque voluntas
Exigeret, legis voce fuisse datùm.
Præfectoque urbi, quæ singula Prætor haberet,
Extracto per fas omnia perque nefas
Huic soli concessa; forique prioris in umbra
Nec speciem reliquam nomine vixque tenus.
Ille tribunalis cornu qui sedit in imo,
Pro vero fecit plurima serva mero.
Atque ita quum fuerint spectata hæc publica jura,
Et mens Romanæ cognitione vicis

Jam

Jam fuerit formata, dein ad quæque ſagacem
  Singula ſpectandum pergere certa via eſt.
Hæc vobis calcata fuit; Digeſtaque veſtras
  Senſerunt lotas non niſi rite manus.
Spargimus hinc merito laudes, hinc omina fauſta,
  Vos cordique bonis ſic fore, voſque Deo.
Ille bonæ cœpit quæ vobis munera mentis
  Largiri, aſſidua ſubſtruat uſque manu!

Quod voveo

JACOBUS GRONOVIUS.

Ad Præstantissimum, Doctissimum, Erectaque indolis

VIRUM JUVENEM

D. ADRIANUM DE LANGE,

Cum, habitâ, *de Re Judicatâ, & de Effectu sententiarum, & de Interlocutionibus*, Disputatione, Eruditorum applausu J. U. D. crearetur,

JACOBI HOOGHCAMER

Προσφώνησις.

O quam beatos nos fore credidit
Olim vetustas, aurea sæcula
Mortalitati si tremendum
Redderet intemerata numen.

Saturnus ævum falcifer attulit,
Quo pœna, terror, vindice judice,
Sententiarum nec sequelæ
Congeries erat exequenda;

Uncos, catastas, non miseri rèi
Horrent numellas; non vadimonia,
Non lictor, aut carcer, secures,
Non Gyari vada nominata;

Ser-

Servile nomen ſtigmate frontium
Signare neſcit neſcia gens mali;
Non roſtra, nec faſces timendi,
Imperium neque *Manlianum*.

Buſiris haud ſe rex per inhoſpîta
Præbebat acrem crimina, nec trucem
Horrore mugitus bovini
Exhibuit *Phalaris Perillo*.

Orbis *Vacunæ* ſacra peregerat.
Mutata ſcena eſt. Juſſa *Decemviri*
Conſulta leges ac Senatus
Invaluere graves, pavendæ.

Delicta plecti poſt cineres videt.
Minoa adæquant *Eumenidum* chori;
Denuntiat fatum ſupremum
Tartareis *Rhadamanthus* umbris.

Infauſta terris incubuit cohors
Nimbus malorum; flagitiis dedit
His fræna cancelloſque judex,
Pœna premens comitatur auſus.

Hæc nos venuſtè LANGIUS edocet,
Fax veritatis, ſtemmate Nobili,
Ut ſidus effulgens *Lycæo*
Ingenio generoſiore.

Aſtræa nectit diva coronulas,
Et docta circum tempora laureas;
Te vota doctorum ſalutant
Auſpiciis, *Themidos* ſacerdos;

Insiste avorum gressibus optimis,
Defensor æqui, conciliet sibi
Per te favorem sic patronus,
Respiciat tua vota Judex.

Post vota patrum candida veritas
Prodens amictu, filia temporis
Exsurgat, haud unquam resolvi
Quæ poterit neque dimoveri.

Hæc sint labori debita præmia,
Interloquentes quis ferat? arbiter
Causam senatus terminavit,
Et resonant fora: judicata est.